# IN MEMORIAM CE-

leberrimi viri Domini FRANCISCI DRAKE *militis, qui nuper in nauali expeditione contra* hoſtes patriæ ſuæ, ex Dyſenteria laborans obijt. Viz. 28. die Ianuarij. Anno Dominj. 1595.

Fluctibus & bellis qui tot diſcrimina rerum
Suſtinuit, Patriæ ductus amore ſuæ;
Appulit æternæ iam tandem Pacis ad oras
*Dracus*, & æternæ præmia Pacis habet.

*Eidem.*

Qui freta luſtraſti ſub vtroq́; iacentia Phæbo,
Quæq́; ſub ambobus ſunt peragranda Polis;
*Drace*, tibi ſuperas iam *Cæli* gratulor oras,
Sed doleo noſtras te moriente vices.

*Eidem.*

Maximus Hiſpano-Maſtix, ipſiq́; Philippo
Qui timor & terror per mare nuper eras,
*Drace* iaces: ſed adhuc ſupereſt *Eſſexius* heros,
In patrios hoſtes qui quoq́; *Dracus* erit.

*Omnibus, qui Patriam conſeruârint, adiuverint, auxerint; certus eſt in Cœlo ac definitus Locus, vbi beati æuo ſempiterno fruantur.* Cic. in ſom. Scip.

Fortunata igitur mors *Franciſci Drake*, quæ naturæ debita, pro Patria potiſsimum eſt reddita.